

22. 528, 13.

B. m

II a
36

DE
BIBLIOTHECA SCHOLASTICA
PRIVATA
COMMENTATIO BREVIS

QVA
AD ORATIONEM VALEDICTORIAM
AUDITORIS SVI
MODESTI ATQVE INDVSTRII
IOANNIS MARTINI PFARRII
NVMBVRGBENSIS
BENEVOLE AVDIENDAM
MAECENATES PATRONOS ATQVE FAVTORES
MVSARVM OMNES
OBSERVANTEK ATQVE HONORIFICE
INVITAT

M. DANIEL PEVCERVS
LYSATVS
RECTOR LYCEI

NVMBVRGBI
LITTERIS BOSSOEGELIANIS

clō Idcc xxxiiii





DE BIBLIOTHECA SCHOL. PRIV.
COMMENTATIO.

§. I.

Qui tres perfecte pleneque sufficere libros * ad genuinam grassaturo felicitatem existimant, sacra scilicet numinis diuini oracula, animi conscientiam, atque uniuersam hancce mundi adspectabilis compagem, illi de materia ac fine librorum potius loqui nobis uidentur, quam libris ipsis ad finem deducuntibus. Etenim sine cortice natate, atque aquam, ut est in prouerbio, cribro haurire auderent, qui bibliothecae cuiusdam beneficio uti pertinaciter nollent, digni, quibus, sine alimentis uiuere, sine ligno in hieme caleferi, praeciperes. *Quid enim est bibliotheca, nisi utilium*

* **GVIDONEM PATINVM** existimasse, perfectam bibliothecam absolui **ARISTOTELE**, **SENECA**, **PLINIO** ac **PLVTARCHO**, historiae litterariae cultoribus ignotum non est. Conferas hic **cel. STOLLIVM** in hist. litt. p. 53. **HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA**, saeculi sui ornamentum, epistola quadam ad amicum, quae numero est xxxi, p. 742. *ed. legum.* **PLINIVM** tantum modo atque **PLVTARCHVM** commendat. Ecce enim eius uerba: si hoc non placeat consilium, uel quia difficile sit omnes praeterire redimere, uel quia uix hominis aetas sufficiat omnes percurrere, et, iuxta **SENECAE** sententiam, non tibi curae sit, quam plures auctores legas, sed quam bonos: en duos tibi praecipue

legendos dabo: unum latinum **PLINIVM**: alterum graecum **PLVTARCHVM**. Hi duo, mihi crede, praeter ceteris sufficiunt, ad reddendum hominem in omni scientiarum genere, utraque lingua doctissimum: nisi quod sacras litteras tibi consulo omnibus antependas, sine quibus omne reliquum studium tuum uanum erit et forte etiam noxium. Quin etiam doctissimus baronius **IO. LOEWEI**ER, libro singulari, *de bibliothecis* cap. I. p. 5. *circumfertur*, inquit, *etiam dictum illud PHILIPPI MELANCHTHONIS*, quatuor auctores bibliothecam constituere, **ARISTOTELEM**, **PLINIVM**, **PLVTARCHVM** et **PTOLEMAEVM**.

um pariter atque necessariorum adparatus librorum, uel excusorum, ab humanitatis cultoribus ea lege atque omine paullatim collectorum, ut illis legendis ad doctrinam ac pietatem, atque hinc dependentem felicitatem humanam solide instituantur? §. II.

Longum foret genera bibliothecarum perfequi omnia, immo superuacaneum, post tot amplissima doctissimorum quorumque hominum scripta, in primis reuerendissimi abbatis, IO. ANDR. SCHMIDII* de bibliothecis, multa exponere. Disputabimus itaque paucis, compluribus ducti rationibus, de *bibliotheca* scholastica, non illa, quae est maxime usibus non magis docentium, quam cupidae discendi aetati destinata, et quam uulgo *publicam* uocant; sed, quae, cuiuslibet sapientiae studiosi rationibus ac fini conuenienter, priuato est colligenda studio; quam quidem hanc eandem ob causam, *priuatam* iure adpellamus. De qua si quisquam non imperitus ex instituto uellet explicare: nae ille, meo quidem iudicio, dignum laude laborem esset suscepturus.

§. III.

leui.

Cuius enim generis libellus etsi forte uideatur regis quorundam doctorum spiritibus, qui non nisi rudimenta eruditionis alto supercilio despiciere possunt; licet etiam magistris quibusdam infidis atque optima quaeque discentes, more artificum illiberalium, celantibus, ingratus adpectu fuerit: tamen, si quid praeconceptae opinionis iudicant expertes, iidemque commodis scholarum bene cupientes, cum *necessitate* summa, tum *utilitate* non exigua

) 2

semee

* Inest in opere isthoc integra IOACH. IO. MADERI 1666. de bibliothecis edita collectio. Prior uero accessio collectioni MADERIANAE adiuncta 1703. altera 1705. cum eruditis est communicata, exhibens in primis IVSTI LIPSII syntagma, IO. LOMEIERI li-

brum singularem, GABR. NAVDAEI dissertationem ex gallico sermone latine uersam, cet. Confer, quae cel. IO. FABRICIVS hac de re copiosius exponit in historia bibliothecae fabricianae, part. V. p. 495. sequ.

femet commendabit. Accedit, ut plerarumque musarum scholasticarum uotis, quibus fieri fatis, aequum est, idemtidem expetantur huius modi institutiones. Namque, si quidam forte alicubi reperiantur, qui non nulla non ignorent, sexcenti profecto alibi aderunt, quos, quid faciendum sit in eligendis libris, plane fugiat.

§. III.

Comparantes quaeso iuuenes, LECTOR BENEVOLE, libros in scholis necessarios uel obiter tantum modo adspicias, non profecto unum et item alterum, sed plerosque omnes offendes, quorum iudicium hac in re minus est limatum, propterea, quod librorum naturam et usum parum perspiciunt, rem autem ipsam, de qua tractant, leuiter attigerunt. Quo fit, ut, in tanta librorum seligendorum copia, non fatisciant, quo se uertant; sed pro *Iunone* iridem, neque tamen sine damno unquam, amplectantur. Quotcumque enim sunt, qui inita rite subductaque ratione possunt statuere, quinam liber utilitate atque soliditate doctrinarum, ordine dispositionis, perspicuitate generis loquendi, iis praesertim in locis, quibus antiquum obtineretur, nec nisi nudae personant uoces latinae ac graecae, ebraicae etiam ex parte, libro sit anteferendus. Iudicii hoc fide aliorum fulti est, non profecto infirmitatis iuuenilis praeiudicatis laborantis opinionibus. Certe enim, ut in re scholastica maneamus, adolescens scholasticus, leuissima quaque causa motus, grammaticae marchicae *Rbenii* grammaticam, *Freinsheimii* Curtio *Loccentii* opusculum, celeb. *Stockii* clauis linguae sanctae *Buxtorffii* lexicon minus, *Rappolti* Horatio *Iunckeri* maculatam, quam uocat clariss. HOFFMANNVS in ratione interpretandi Horatii poemata p. 7., atque futilem editionem, *Paulii Manutii* epistolis Ciceronis *Siberi* studium leuioris momenti praepostere anteponet.

§. V.

§. V.

Adde infucata[m] atque speciosam librorum uilioris notae commendationem publicam, quae oritur, citra controuersiam, ex iudicio per amorem nimium, uel inuidiae perturbationem, uel bibliopolarum lucrandi cupiditatem, uel aliud malum corrupto. Hoc enim si ad cuiusquam adolescentis aures atque oculos peruenerit, num putas sanum ac utilem illi innasce posse libri amorem. Homines certe reguntur paene omnes opinionibus, quas, propter auctoritatem, alii incautis instillant, atque in eos quasi ingenerant, eisque simul turpiter imponunt. Cuius generis ut adferamus exempla, licet adsint in promptu, tamen ab nobis non impetramus; ne crabrones iritemus.

§. VI.

Praeclare porro, si ille dixit, nosse bonos libros primum esse ad eruditionem gradum: ignoratio certe naturae librorum non potest non complura secum ferre detrimenta. Detrimentum est, praeterire meliores, peiores autem comparare; atque ideo incrementis scientiae obicem ponere de industria. Detrimentum etiam est, inutilibus tempus terere libris, utiliores autem, ne de facie quidem, nosse. Quod si enim in auctore quodam latino haesitaueris, dum uel contextum perspicis male cohaerentem, uel sententiam perobscuram; uulgaribus libellis, mihi crede, numquam tibi medeberis; sed potius temet turpiter confundes.

§. VII.

Neque tamen solum necessarium tale de bibliotheca scholastica priuata est scriptum; sed simul etiam tenerae ad litteras incumbenti iuuentuti *perutile*, siue externa, siue interna consideres. Si alii coguntur, quibus usi sunt in adolescentia, libros, breui intermisso tempore, cum melioribus

commutare; ut nouos, qui monitorem fidum ac doctum huius bibliothecae mature audiuerunt, comparent, nihil est neceffe. Porro hoc pacto sumtibus suis, qui paulatim infumuntur in libros perparui usus, aliquis parcere discit; ut ne quid dicam de turpitudine ac dolore, qui deceptis ante id tempus, uel culpa sua, uel aliorum, inurruntur. Saltim conqueruntur uiri docti saepius maiorem in modum, se iuuenes, iudicii defectu, hac in re grauius deliquisse, ita ut nunc exclamandum ipsis esset: tanti poenitere emimus!

§. VIII.

Iucundum etiam atque pergratum est fenescere apud ueteres libros*, tamquam integerrimos amicos, ad quos semper aditus patet sine mora; ideo, quod memoria illa localis, quam dicunt, numquam immutatur, numquam obliuione conteritur. Parit enim profecto unius scriptoris sexcenties mutatum exemplar sexcentos etiam labores longe quidem taediosissimos. Iam uero memoriae, cuius uirtus non semper eadem est; sed multis praeter opinionem de caussis infirmatur, ut quauis succurras ratione, ac tempori omnibus modis dicas parcere, ipsa flagitat necessitas.

§. VIII.

Tandem non est hoc loco praetereundum, singulis fere lustris, eruditionis subsidiorum obseruatam a doctis esse uicissitudinem. Certe, qui ante hos triginta annos boni libri laudem apud plurimos reportarunt, in praesentia ab aliis sui generis nimium quantum superantur; si quidem duo sibi cum iudicio atque sine iniquo animo

* Adde etiam hoc, librum quemdam reuera bonum et utilem sua se bonitate atque utilitate commendare usque ad finem saeculi: neque ut abiiciatur, aut

conter inter improbandos numeretur, esse neceffe; id quod profecto sufficiens retentionis causa est.

conferantur eiusdem materiae libri. Consequens igitur est, ut maius scientiae incrementum ex probatis ingenii monumentis saeculi nostri, quae optima ex antiquis retinuerunt, ac omnia ad ingenium eiusdem accommodarunt, sit sperandum, quam ex antiquioribus plerisque. Atque hoc quidem sine iniquo partium studio genuinus de bibliotheca scholastica priuata liber declarat. Aetas enim superior tale lexicon latinum syntheticum uidit nullum, quale acceptum haud ita pridem tulimus *clar.* HEDERICHI, uiro de re scholastica multo meritissimo. Neque etiam inter lexica analytica, quoddam minorum, quae perditores in multis uerius, quam magistros puerilis aetatis adpelles, reperitur, quod possit *in praesentia* KIRSCHII comparari.

§. X.

Iam si inter duces iuuentutis publicos, et priuatos eiusdem doctores omnes essent ac singuli ea scientia ac fide, qua esse debebant, praeclare cum adolescentibus, quod etiam adinet ad librorum scholasticorum notitiam et litterarum adiumenta, ageretur. Enim uero, quid hic et illic hac in re ueniatur, quum hac luce clarius eximplendescat, aut tandem suo patefiat tempore, si quidem ad altiora adscenderunt iuuenes; nolo pluribus uerbis commemorare. At quaedam est notitia supellectilis librariae conueniens discipulo scholastico in libro HEDERICHI noto*: sed ita breuis, sed ita imperfecta, ut digito tantum rem demonstrare, non eandem exponere uideatur, id quod conspectus ipse euidenter docet. Dabimus itaque operam, ut hominibus nostris hac in re pro uirili nostra parte, quocumque tandem *id modo, loco ac tempore* fieri poterit, aliquod adiumentum adferamus.

Quid

* Liber inscribitur *Anleitung zu den fürnehmsten historischen Wissenschaften.* Atque huius quidem p. 299. ap-

pendix quaedam breuis, bibliothecae utilis ac necessariae studioso bonarum artium deprehenditur.

QX 11a 36

X 3577519
V18

Quid ergo? coniungendi felicissimo uinculo sunt uiui atque mortui iuuentutis magistri, ut uel primum proponendo, uel diligenter repetendo, uel fideliter supplendo, si qua forte defuerint, ingenium eiusdem ad usus quondam publicos rite atque ex sententia excolatur.

Quod quum pro ingenii sui bonitate, et pro animo suo sincero, quo ferri solitus semper est in honestatem, eruditionem atque humanitatem, impigre obseruauerit iuuenis modestus atque industrius, quem, ut alios omnes, qui genuini officium discipuli bene obseruant, iure non dileximus solum, uerumetiam mirifice amauius, ex musarum nunc complexu nostrarum, bono cum DEO, ad almam studiorum matrem, elegantissimam illam LIPSIAM discessurus,

IO. MARTINVS PFARRIVS, *numburgensis*:
auctores ipsi exstitimus, ut, ante quam pietate debita inter ualedicendum uteretur, publice *oratione latina* ageret

ALIAM OMNINO ADOLESCENTIBVS TRADENDAM ESSE
PHILOSOPHIAM, QVAM HISTORICAM.

Neque enim sumus nescii, quid rudes huius studii, quid summus etiam italus, IAC. FACCIOLATVS, qui in urbe Patauii sanctiores adhuc, quantum scimus, litteras docet, peculiari oratione, hac inscriptione ibidem cō Iōcc xvi edita, *nulla est adolescentibus tradenda philosophia, nisi historica*, ea de re sentiant,

Contra ea commilito eius iucundissimus, auditor noster litterarum amans, IO. FRID. HOFFMANNVS, *Cizensis* primum quidem dabit operam, ut oratione breui cuiucat, contra, quam non nulli uulgo arbitrantur, *philosophiam theologis, non item theologiae necessariam esse*; deinde *mecum* uota ad DEVM faciet, ut coepta condiscipuli optimi secundet, atque conatus eius omnes dirigat ad ueram, quam omnes exspectant, pauci adipiscuntur, felicitatem.

Ad hunc igitur actum sollempnem, CRAS a meridie hora II. exaudita, binis orationibus non profecto iniucundis, concelebrandum, VOS, MAECENATES, PATRONI, AC FAVTORES litterarum huius generis honoratissimi, omni, qua par est, obseruantia atque humanitate, inuito.

P. P. NVMBVRGI III. A. KAL. MAIAS

cō Iōcc xxxiiii.

941



B. m


II a
36

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13



DE
ECA SCHOLASTICA
PRIVATA
MENTATIO BREVIS

QVA
ONEM VALEDICTORIAM
VDITORIS SVI
STI ATQVE INDVSTRII
MARTINI PFARRII
NVMBVRGENSIS
NEVOLE AVDIENDAM
PATRONOS ATQVE FAVTORES
YSARVM OMNES
NTER ATQVE HONORIFICE
INVITAT
NIEL PEVCERVS
LVSATVS
ECTOR LYCEI

NVMBVRGI
RIS BOSSOEGELIANIS
15 1000 xxxiiii

